

1155

1156

*Crucigerorum, &
Matthai Apostoli aedes ereæta.*

*Vitalis Michael II.
sucedit.*

1162

*Veneti patrocinantur
Alexandro III. contra
Octavianum Antipapam.*

*Ludorum,
qui diebus
Carnispriviæ celebantur, origo.*

Ragusium ; ac pleraque alia Dalmatiæ loca ab Emanuele Imperatore occupata reperio. Fanum Virginis, quod Crucigeri habent, a Gausonia familia privato sumptu est conditum; condita & Matthæi Apostoli ædes : aream in qua fundata est, Bernardus Cornarius pie obtulit. Hæc domi forisque Mauroceno Duce gesta reperio : qui anno sui Principatus octavo diem obiit : ad fanum Crucis est situs.

Vitalis Michael secundus illi suffecitus est. Hic Pisanos, veteri æmulatione prorsus sublata, ad Veneti nominis amicitiam retraxit. Alexandro tertio Romano Pontifice adversus Octavianum Antipapam, hoc Duce, Veneti patrocinati sunt : cui & Galliæ Reges & Britanniæ favebant. Fœdericus, cui Barbærubræ cognomen fuit, Imperator, unus Octaviano opitulabatur : atque hoc nomine jussit Venetos fines a finitimis populis, qui ejus imperio parebant, bello repente invadi. Tum Veronenses, Patavini, Ferrarienses, conjunctis copiis, Caput aggeris adorti, in suam potestatem redigunt. Sed auditio Veneti exercitus adventu, qui ad primam hostium famam subito delectu fuerat eductus, directo oppido, incolisque ad unum in captivitatem abductis, trepide inde abierunt : Veneti, non reperto hoste, in Hadrianos fines effusi, suorum cladem ulciscuntur. Hac temporum novitate fretus Vulricus Aquilejæ Antistes (nam & ipse Octaviano favebat) cum valida Carnorum manu Gradum occupat : nec tam retinendi loci spe (quæ nulla esse poterat) quam ut preciosissima quæque inde ablata in Aquilejam transferret. Sed ille inopinato Ducis interventu oppressus, cum duodecim Canonicis ac plerisque aliis nobilibus viris, Venetas est perductus. Nec ita multo post his conditionibus missus, ut quotannis optimum taurum ac duodecim apros sub dies Carnisprivii Venetas mitteret, qui frequenti populo ante forum conficerentur, ut eorum cæde Vulrici & aliorum noxa expiari videretur, effetque posteris perpetuum ejus victoriæ monumentum. Verum hæc quidam ad Angeli Particiatii principatum referunt, & nos id ipsum alio loco scripsimus : quod ideo factum existimo, quia Alejandro Pontifice id accidisse illi quandoque legerant : sed utro